

CODEX 67. olim signatus 4/15.

*Foliorum 106, 245 : 145 mm., lineis plenis exaratus inter annos 1197. et
1223. sub Henrico abate Engelbergensi, testibus his versiculis fol. 1':*

Istud opus danti ti- } bi virgo Maria patro- } na.
Heinrico confer si- } tu prece coelica do- }

*Codex optime rubricatus est rubrisque litteris initialibus decoratus. Duo folia
improba manus cultello excisa abstulit, alterum inter folia 32. et 33. alterum
inter 85. et 86. Folium 78. salvâ scripturâ mutilum est.*

Commenta Julii Solini sive Grammatici. Polystor ab ipso
editus et recognitus de situ orbis terrarum et de singulis
mirabilibus quae in mundo habentur.

*Cfr. Julii Solini Collectanea rerum memorabilium, recognovit Th.
Mommusen. Berolini 1864. Fol. I.II. sqq.*

*In margine laterali folii 106'. legitur hymnus neumatus de s. Katharina:
Voce cordis et oris . . . Monc. Hymn. 3. 349. num. 984. De Henrico
abate cfr. Engelberg. pag. 51 sqq.*

CODEX 68. olim signatus 4/20.

*Foliorum 95 (praeter unum insitum ab initio), 240 : 170 mm., lineis plenis
exaratus saeculo XII. sub b. Berchtoldo abate (1178—1197), quod indicat
hic versus in capite codicis:*

Hoc pie Christe datum Bertoldi sit tibi gratum.

Codicem tituli rubricati ornant et nonnullae litterae initiales luculenter delineatae.

*Claudianus Mamertus presb. Viennensis. De statu animac
libri tres. Fol. 6—95'.*

Praefatio librorum Claudiani. Praefectorio patricio doctissimo etc. Magnum
in genere humano — in excidio falsitatis. P. L. 53, 697—777. Praemittuntur
capitula librorum de statu animae (fol. 1—2'), et libellus Fausti Rheiensis seu
epistola contra eos qui dicunt esse in creaturis aliquid incorporeum (fol. 2'—6').
Huius operis auctor ignoratur, quia tacito nomine ista conscripsit; contra quem
Claudianus tres hos libros disseruit. (rubr.) Praecipis ut respondeam, quae in
rebus humanis corporea — sancti spiritus societate dominatur. P. L. 58.
840 D—845. Chevalier, col. 1457. Fabricius, Bibl. lat. med. 1, 1074 sqq.